



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

509. An, & qualiter Capitulum Episcopo alicui sede vac. committere possit
exercitium pontificalium, & in specie quò ad collationem Ordinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

synodo vicarius juxta consuetudinem Ecclesie exigere manualementem obedientiam, quam clerici suo exhibere solent Episcopo, pro quo citat Quarant. in sum Bullar. v. Capit. sed. vac. Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 55.

Porro quid possit Capitulum sede vacante circa deputationem Examinatorum synodaliū, dicitur. c. seq. ubi de concursu pro parochialibus habendo per Capitulum.

Questio 509. An & qualiter Capitulum Episcopo alicui sede vacante committere possit exercitium pontificalium, & in specie quo ad collationem ordinum?

1. Resp. Ad primum, nempe posse Capitulum sede vacante, aut ejus Vicarium invitare Episcopum vicinum, aut alium ad exercenda in Ecclesia vacante, & in diœcesi Capitulo subiecta pontificalia, seu committere alicui caractere Episcopali insignito exercitium pontificalium, dictum satis & stabilitum est supra, ubi, num ea, quæ Ordinibus sunt, devolvantur ad Capitulum sede vacante. Neque his obstat Tridentinum, dum verat, ne Episcopus exerceat Pontificalia in aliena diœcesi sine licentia Ordinarii, id est Episcopi istius diœcesis, Nam & Capitulum sede vacante, ejusque vicarius est, & venit nomine Ordinarii: cùm succedat Episcopo defuncto in omnibus, quæ pertinent ad jurisdictionem episcopalem. Dian. p. 8. tr. 4. resol. 4. 72. in fine citans Portel. in resp. mor. tom. 2. cas. 71. n. 4. & 5. item Lotter. de benef. l. 2. q. 13. n. 42. Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 12. n. 92. Card. de Luc. ad Trid. d. 5. n. 33. Paris. de resign. l. 7. q. 23. n. 124. Dum autem AA. quidam dicunt, debere invitare unum ex vicinis Episcopis, ita id accipiendum non est, quasi hoc sit de necessitate, sed ad summum ex aliqua convenientia, ut Ventrigl. loc. cit. §. 1. n. 12. in fine. nil enim verat, quod minus id officii committatur alicui Episcopo extero hospiti in diœcesi illa Episcopo suo destituta commoranti, aut aliunde accerlit Episcopo suffraganeo, ut vocant, & nullatenus, seu actu nullam diœcesim habenti. Sed neque dubium est, posse Vicarium ipsum Capitulum, dum is Episcopus est, exercere ibidem pontificalia per seipsum; idque post deputationem sui in vicarium independentem ab ulteriore, & speciali mandato Capituli.

2. Resp. ad secundum primum Capitulum sede vacante, aut ejus Vicarius, etiam intra primum annum vacationis (qui, ut Ventrigl. tom. 2. annot. 158. l. n. 30. computatur à die vacationis, & finitur, postquam lapsi sunt dies 365, quibus constat annus naturalis; cùm appellatione anni in quacunque dispositione semper veniat totus & completus, ut idem. tom. 1. annot. 2. §. 2. n. 3.) dare licentiam Episcopo alicui extraneo ordinandi in diœcesi ecclesie vacantis extraneos, habentes dimissorias à proprio suo Episcopo, aut Prælato suo regulari. Laym. in c. cùm nullus. de tempor. ordinat. n. 3. citans Piares. p. 1. c. 1. n. 10. Henriq. l. 1. c. 22. Pirh. ad tit. de temp. ordinat. n. 59. citans in super Quarant. in sum. Bull. v. Capit. sed. vac. q. 11. Ventrigl. loc. cit. n. 33.

3. Resp. ad secundum secundum Potest etiam intra primum annum vacantie dare tali Episcopo commoranti apud se, seu in sua diœcesi licentiam ibidem ordinandi subditos suos etiam non arctatos habentes dimissorias ab Episcopo defuncto vel Papa, aut Nuntio Apostolico (qui etiam intra pri-

mum annum dictæ vacantie eas concedere potest non arctatis; eò quòd, dum in facultatibus nunciis aliàs est eas concedere, tam sede plenà quàm vacante, & nullibi vetetur id facere dicto primo anno, sine fundamento hæc etiam potestas restringatur à Pirh. loc. cit. n. 45. ad tempus post annum illum elapsum; cùm dando eas pro primo illo anno non agat contra dispositionem Tridentini, utpote non vetantis illis tunc dari simpliciter, sed solum à Capitulo sedis vacantis) ut à quocunque Episcopo ordinari possint. Pirh. loc. cit. n. 59. Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 93. testans id expressè doceri à Navar. conf. 44. de tempor. ordinat. & Puteo decis. 407. l. 2. juxta expressum S. Congreg. Concilii declarat. quam hæc expressis recitat Garc. loc. cit. Capitulum sede vacante potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi pontificalia & ordines conferenditiam clericis sue diœcesis quàm exteriis habentibus dimissorias suorum Episcoporum &c. Neque enim hoc prohibetur à Tridentino sess. 7. c. 10. aut alibi, utpote à quo solum prohibetur intra annum dari à Capitulo subditis illius dimissorias, in quarum vim ordinari valeant extra diœcesim ab alio Episcopo; vel etiam ad summum prohibetur dari intra annum à Capitulo subditis suis licentia ordinandi, seu ut ordinari possint. quorum neutrum fit per hoc, quòd det Episcopo apud se commoranti licentiam ordinandi subditos suos instructos aliunde istiusmodi dimissorialibus, non primum, quippe dare licentiam extero Episcopo, ut celebret, seu conferat ordines in diœcesi aliena, ubi sedes vacat, res est omnino diversa à datione dimissorialium subdito ad suscipiendos ordines extra diœcesim ab altero Episcopo, ut patet. per prius enim tollitur impedimentum, quo aliàs juxta idem Tridentinum prohibebatur celebrare pontificalia in diœcesi aliena sine ordinarii illius licentia, per posterius tollitur impedimentum, quo Episcopus prohibebatur subdito alieno conferre ordines, adeòque jam prohibito per Tridentinum posteriore, nempe datione dimissorialium, non prohibetur prius, nempe datio licentiæ exercendi pontificalia in aliena diœcesi. Dian. loc. cit. resol. 73. ex Theomudo in decis. Archiep. Olyssiponens. p. 1. decis. 29. n. 3. Non secundum, nimirum per hoc, quòd det Episcopo extero licentiam ordinandi in sua diœcesi, in qua vacat sedes, non dat subditis suis licentiam ordinandi, siquidem id ordinandi accipitur passivè, ita ut idem sit, ac ordines suscipiendi, ut patet ex adjuncto dativo alteri. adeòque dare licentiam ordinandi; & dare dimissorias ad ordines suscipiendos, hæc idem sunt; & id literas dimissorias: ad majorem claritatem additum est. proinde, quòd det licentiam Episcopo in sua diœcesi ordinandi, seu ordines conferendi, non dat alicui licentiam, ut ab eo ordinetur, sed supponitur, ordinandum illam habere aliunde. Pirh. loc. cit. citans Sanch. in opusc. mor. tom. 2. l. 7. c. 1. dub. 26. Themudò loc. cit. apud Dian.

4. Porro adjiciendum his, quòd habet Barbof. l. 1. jur. eccle. c. 32. n. 123. ubi: ante lapsum anni vacationis sedis poterit Capitulum obtinenti facultatem à sede Apostolica de suscipiendi ordine cum licentia ordinarii; hujusmodi licentiam subordinatam (nempe suscipiendi ordines etiam intra diœcesim ab alio Episcopo) concedere. pro quo citat Navar. conf. 19. in antiq. aliàs 27. in noviss. tit. de tempor. ordin. Piares. in pr. episcopali p. 1. c. 1. n. 13. v. capit. sed. vac. & seipsum de potestat. Episc. p. 2. alleg. 7. n. 14.

5. Atque

5. Atque ex his jam inferri videtur non prohibere Tridentinum ordinari subditum non arctatum intra primum annum illius vacantis sedis, ubi is non eget dimissorias, uti contingere videtur in hoc casu: dum designatus in vicarium capituli est Episcopus, sive dum Episcopus aliquis titularis deputaretur in vicarium capituli, eum enim vicarii, & non capituli sit dare dimissorias (saltem dum hanc quoque potestatem Capitulum transtulit in vicarium suum) & nemo dare possit dimissorias ad seipsum, seu licentiam ut quis à seipso ordinari possit, non egebit subditi illi ullis dimissorias. Tridentinum verò solum prohibet tunc ordinari subditum in vim dimissoriarum acceptarum à Capitulo.

6. Inferri videtur ulterius, neque prohibere Tridentinum ordinari subditos non arctatos talis diocesis, in qua vacat sedes ab Episcopo ibidem commorante & assumpto ad exercendum ibidem pontificalia, etiam si vicarius Capituli non sit; quia nec respectu talis Episcopi subditi Capituli sede vacante egent dimissorialibus. Quod facit, quod ex Themudo *loc. cit. decis. 88. n. 9.* habet Diana *loc. cit. resol. 72.* quod cum talis Episcopus de Anel, ut vocant, seu nullatenis nullam in actu habeat propriam diocesim, ista diocesis, in qua moratur, & in qua assumptus, & institutus est (intellige, sive ab Episcopo, sive à Capitulo sede vacante) ad exercendum ibidem absolute, generaliter, & sine limitatione Pontificalia, sit certo modo ipsius diocesis; adeoque dici non possit, quod exerceat Pontificalia in diocesi aliena sine licentia. Et sic absolute tenent Diana *loc. cit. resol. 41.* hisce expressis; etiam Capitulum sede vacante, vel ejus vicarius non possit intra annum subditis suis concedere dimissorias, poterit tamen interim intra eundem annum per alium Episcopum pontificalia exercentem ordinare diocesanos suos. Atque ita fuisse resolutum à S. Congreg. refertur. Idem tradit Barbosa *loc. cit. n. 123.* ubi poterit insuper Capitulum præfato anno durante concedere Episcopo extero exercitium Pontificalium, & ordinationem propriorum subditorum sedis vacantis, pro quo citat uterque, nempe Diana & Barbosa. Navar. *conf. 27. de tempor. ordin. Extrat. de ordin. c. 5. n. 7.* Molfet. *in sum. tract. 2. c. 2. n. 28.* Marchin. *de sacram. ordin. tr. 1. p. 6. c. 3. n. 16.* & Barbosa. insuper Henricus, *in sum. l. 10. c. 22. §. 1.* Quarant. *in sum. bull. v. capit. sed. vac. g. 11.* Marc. Anton. Genuent. *in pr. Archiep. Neapol. c. 87. n. 33.* Pialec *pr. episc. p. 1. c. 1. n. 13.*

7. Unde jam minus coherenter videtur Barbosa locutus, dum *loc. cit. n. 121.* dixerat: colligitur, non posse Capitulum dicto anno durante dare licentiam Episcopo commoranti in civitate, vel diocesi, ut ordinet regulares etiam pravio examine per ipsum vicarium facto, ut tenet Rague. *de voce can. q. 39. n. 4.* sane coherentius dictis sentit Themudo *cit. decis. 89.* & seq. apud Diana *loc. cit. resol. 73.* dum absolute affirmat, posse Capitulum sede vacante intra primum annum dare licentiam alicui Episcopo (intellige, apud se commoranti, & assumpto ad exercendum pontificalia) conferendi ordines regularibus sine diocesi. sequitur enim id manifestè, quia & à potiore, ex dictis. si enim or-

B. Laurentii Tract. III. De Capit. sed. vac.

dinari possint à tali Episcopo intra illum annum subditi seculares non indigentes dimissorias; quin & ad hoc capitulum illis facere licentiam, cur non etiam regulares? & cur non potius regulares? cum Tridentinum vetando dari intra primum annum dimissorias, aut licentiam ordinandi clericis subditis suis, non videatur comprehendere religiosos; utpote qui, ut Themudo apud Diana *loc. cit.* & alii passim, nomine clericorum (intellige in odiosis, quale quid est ista denegatio dimissoriarum, & licentiarum) non veniant, quod ipsum indicant AA. & inter reliquos Henricus *loc. cit. c. 22. n. 3.* dum inquit: Capitulum sede vacante non potest secularibus clericis dare reverendas &c. hoc enim loquendi modo satis ostendit, prohibitionem illam solum intelligi de clericis secularibus, & non de religiosis. Neque etiam religiosi, etiam sede plenà, dum recipere volunt ordines ab Episcopo alterius diocesis, dimissorias, non acceptas ab Episcopo, sed à Præfato suo deserunt. multoque ergo minus egent his ad hoc acceptis à Capitulo sede vacante. Adde, quod religiosi non sint propriè subditi Capituli sedis vacantis; dimissoria autem non deatur nisi subdito, ut vadat ad alienum Episcopum pro suscipiendis Ordinibus. Sed & licet sint subditi (intellige, etiam exempti alias à jurisdictione Episcopi) & subjei Episcopo quod ad recipiendos Ordines, quod cogitandum monet Diana *loc. cit. resol. 73. in fine* ex Barbosa, *de canonis. c. 48. n. 121.* adhuc non obstat; quia juxta dicta & subditi etiam absolute quo ad omnia jurisdictioni Episcopali, & consequenter etiam Capituli sede vacante, possunt à tali Episcopo ordinari, & his concedi licentia ordinis suscipiendi intra illud tempus. Atque pro hac sententia, quod Capitulum sede vacante intra annum dare possit licentiam alicui Episcopo ordinandi regulares, Diana *in fine resol. 73.* citat Portel. *Respons. mor. tom. 2. cas. 71.*

Quæstio 510. An Capitulum sede vacante possit revocare licentiam exercendi pontificalia, & conferendi Ordines concessam alicui Antistiti ab Episcopo defuncto: & si eam non revocaverit, possit Antistes pergere ibidem exercere Pontificalia, & ordinare?

1. **R**esp. ad primum affirmative. Cum enim Capitulum totam jurisdictionem habeat ordinariam Episcopi mortui, & Episcopus mortuus in hac vita poterat revocare talem licentiam, etiam capitulum mortuo Episcopo poterit eam revocare. Diana *loc. cit. resol. 72.* & apud illum Themudo *loc. cit. decis. 88. n. 9.* Et patet hoc ipsum ex eo, quod Capitulum removeat Vicarium generalem à defuncto Episcopo constitutum. Ubi tamen datus fuisset talis Episcopus titularis ad exercendum in diocesi aliqua, v.g. ob Episcopi minorem ætatem, vel non consecrationem, simpliciter pontificalia, non poterit dein tali Episcopo non consecrato mortuo Capitulum sede vacante illum impedire, aut amovere ab exercendis pontificalibus. Idem videtur, dum Metropolitanus, dum is fortè in ca-

R

su,